



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

16. Julii. Ne in rerum propriarum deliberatione nos amor propius in transversum agat, considerandæ illæ sunt tanquam ad alios, non ad nos spectantes, ut sic veritas, non affectus iudicium ferat. S. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

In animorum cura illud habe fundamentum : nullam fore efficacem malo medicinam, nisi hæc à tali afferatur, quem patiens amet. Animus primùm occupandus est, ut ejus vitia expugnentur.

Unguis in ulcere auget, non tollit malum. Continuus stimulus ut dolorem, ita odia suscitatur. Molli manu, levissimèque attingenda sunt apostemata, secus erit intolerabilis curatio.

Vides afflictum vacillare sub onere. Si impellis? cogis ad ruinam, quem erexisses, si propitiam debili manum obtulisses. Tempori aliquid, aliquid ætati, nec parum indulgendum fragilitati.

16. Julii.

Ne in rerum propriarum deliberatione nos amor proprius in transversum agat, consideranda illa sunt tanquam ad alios, non ad nos spectantes, ut sic veritas, non affectus judicium ferat. S. Ignat. ibid.

Corporis oculos ita natura instituit, ut, licet alia omnia, se tamen minimè videre possint. Par mentis oculo sit officium, cui de aliis judicium committi potest, de se ipso nequaquam.

K 5

Cui,

Cuique sua præ alienis placent, nemo non afficitur erga ea, quæ efficit. Quæ viciniora sunt, apparent majora, quæ remota, decrescunt. Ut tibi nemo te vicinior, ita nullus charior.

Malus in dubiis iudex est affectus, eorum viciniam hæcitat, quod ipse propendet, quantum deficit meriti, tantum addit de favore, quid mirum? quod præponderet.

Tantum se quisque sincerius amat, quantum plus à sui amore recedit. Sic, quod bonum est, non quod bonum apparet, tibi vises, si tuam secteris voluntatem, quæ caeca te ducet?

17. Julii,

Nec discursu, nec rationibus ullis tantum erudimur, quantum humili ad Deum recursu. S. Ignat. apud Nolar.

NON in persuasibilibus humanæ sapientiae, verbis, vel auxiliis litteratis ponenda est spes scientiæ, huius fons investigandus est alibi, ubi nempe thesaurus est sapientiæ, & scientiæ Dei absconditus.

Bonaventuræ Bibliotheca Crucifixus est; plus inde is affectu didicit, quam e mille